



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Brevis Oratio antè Studium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

currat, illius solutio studiosè perquiratur; si verò inveniri non possit, in charta, à R. P. Professore quærenda, annotetur.

ccccxix. Quisque libellum habeat, in quo Resolutionum compendiosas explicationes, Objectionum subtiliores ac breviores solutiones, & Argumenta nova difficilia conscribat; eoque utatur instar promptuarii ad objiciendum & respondendum.

In Schola sit Studentium quilibet, quàm fieri potest, attentissimus; hæcque finitâ statim in cellam suam cum silentio sese recipiat, scripta explicata breviter percurrat, & dicta maturè perpendat; quia explicatio recens facilius percipitur, & prodest, ubi aliqui, ex infirmitate memoriæ, sine fructu evanescent.

Brevis Oratio antè Studium.

ccccxx. **S**tudium nostrum, quæsumus, Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut totum à te semper incipiat, & per te caprum in gloriam tuam finiatur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Brevis Argumentandi Methodus.

ccccxxi. **Q**ui argumentaturus est (præsertim publicè) statim ac fuerit ad argumentandum rogatus, à viro eminentioris notæ (si talis præsens sit) potest à R. P. vel Domino Præsidente, & tandem à toto Auditorum conventu argumentandi facultatem, assurgendo, vel alio Reverentiæ signo, juxta morem Patriæ, petat: his vel similibus verbis,

ccccxxii. Cum venia Reverendissimi Domini Episcopi, vel Nobilissimi D. Comitis, Reverendi Patris, vel Domini Præsidis (pro Personarum dignitate & qualitate) & totius Auditorii pace, dicam aliquid contrâ 1^{am}, 2^{am} vel tertiam conclusionem, in qua dicitis, &c. lecto autem puncto, quod impugnare decreverit, suum clarâ & altâ voce incipiat argumentum, dicendo, *sic argumentor*. Sit brevis & clarus, potiusque utatur syllogismo, quàm enthymemate; semper solutionem patienter audiat; & datam, quantum fieri potest, urgeat; hoc modo: *probo majorem, vel minorem, vel consequentiam* (prout nominabitur propositio negata) quam semper sub iisdem terminis, sub quibus negata fuerit, inferet pro conclusione: vel etiam sic, *contrâ solutionem,*

contrâ distinctionem, &c. datam sic argumentor.

Brevis Respondendi Methodus.

ccccxxiii. **Q**ui responsurus est (præsertim publicè) ad præambulum argumentantis assurgat, & audito primo argumento, statim illud clarâ & altâ voce repetat, hoc modo; *contrâ conclusionem nostram, quæ sic se habet, &c.* (usque ad punctum, quod impugnatur) *sic argumentatur* eximius Dominus, aut eximius Pater, & Doctor Theologiæ: si Iuris, Clarissimus: si Medicinæ, Expertissimus: si Theologiæ Licentiat, Eruditissimus Dominus, aut Eruditissimus Pater: si Bachalaureus, Doctissimus Dominus, aut Doctissimus Pater: alii autem Sacerdotes, sive Sæculares, sive Regulares, non Monachi consultò intitulantur Reverendi Domini, alii Patres, addito titulo Officii, *Provincialis, Prior, Professor, &c.* & tunc modestè & reverenter sedeat; argumentumque bis iisdem, quantum fieri potest, verbis repetito, primam propositionem (quæ in syllogismo est major, in enthymemate antecedens) negabit, si falsa; concedet, si vera; distinguet, si diversos sensus ambiguos patiatur, quorum unus sit falsus, alter verus; & ad falsum dicet, nego majorem, vel antecedens, (prout erit) ad verum dicet, concedo majorem; & sic consequenter de aliis propositionibus: non perget tamen ultrâ propositionem negatam; nec umquam distinguet consequentiam, sed consequens; nec umquam negabit aut concedet consequens, sed consequentiam; deinde cavere debet nè statim in principio argumenti distinguat; quia id confusionem parit, & argumenti filum sine gratia interrumpit: quid si propositio assumpta, sit ad probationem interdum impertinens? sive vera sit, sive falsa, dicet, *transit*. Quid si sit una tantum propositio assumpta? si dicatur, *infero*, concedet aut negabit illatum: si subsumatur, subsumptum: si dicatur, *inde sequitur*, sequelam: si nihil horum, sed quasi ex abrupto assumatur, assumptum. Quid si proponatur autoritas aliqua? si deferre oporteat, dicat, *explico Auctoritatem*, & id ipsum faciat, sic ut suæ conclusioni convenientem sensum adferat, & concedat; disconvenientem autem neget. Quid denique si Præses aut Argumentans aliquid petat? incipiat prout argumentum primò incepit, *sic petit Eximius, &c.* & tum respondeat.



LOGI-